

taxa prædicti fieri poterat: id enim acciderat sub Pontificatu S. M. Benedicti XIV. Insuper eadem clausula fuerat adjecta. Nihilominus concinnato dubio: « An et a quo præstandæ sint taxæ prædiales, ita ut sit locus retentioni in casu? » responsum prodiit: « Affirmative, taxam prædialem præstandam esse ab Emphyteuta, in reliquis negative. »

Hæc omnia ab utraque partium in contradictione exposita sunt; utque omne controversiæ caput recideretur, tria dubia E. Patribus dirimenda proposita sunt, videlicet:

1. « Se e da qual tempo l'Enfiteuta abbia diritto di ritenersi il canone *pro rata commodi*, o piuttosto sia tenuto pagare l'intero canone al S. Monte di Pietà nel caso? Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam. »

2. « Se l'Enfiteuta debba rindennizzare il pio luogo della rata annua ritenuta fin dal 1803? Et quatenus affirmative. »

3. « Se e come convenga condonare all'Enfiteuta la somma non pagata al S. Monte nel caso? »

Quibus iidem E. Patres adunati in generali auditorio, diei 22 Maii 1840, rescribendum censuerunt:

Ad primum affirmative *ad primam partem*; negative *ad secundam*.

Ad alia provisum *in primo*.

3. Anno 1820, mensa Episcopalis Imolen, quemdam fundum sine beneplacito apostolico pro spatio annorum sexaginta novem Francisco Fantini concesserat. Anno 1836, Emphyteuta hunc substantialem defectum agnoscens, a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium sanationem ejusdem contractus imploravit. Cum vero in causæ cognitione constitisset canonem impositum nimis tenuem esse, hinc dubia hæc de re Eminentissimorum Patrum iudicio dirimenda proposita sunt:

1. « Se il detto contratto d'emfiteusi debba sanarsi e convalidarsi? »

2. « Se debba imporsi la condizione, che il Canone sia accresciuto? »

Et quatenus affirmative ad utrumque.

3. « Se l'accrescimento debba stabilirsi dalla S. Congregazione, ed in qual somma, avvero si debba rimettere al prudente arbitrio di Mons. Vescovo d'Imola? »

Eminentissimi Patres in plenario conventu convocati die dicta 3 Martii 1837, responderunt:

Ad 1. affirmative. Ad 2. affirmative, aucto canone arbitrio Episcopi. Ad 3. provisum in primo. Imolen. Emphyteus. diei 3 Martii 1837.

4. Capitulum Ecclesiæ S. Mariæ Regina celi Montis-sancti in alma Urbe duo eujusdam domus solaria ad viam « del Corso » possidebat, quæ Augustino Vallati, veteri inquilino, ad annos duodecim anno 1839 iterum locaverat.

Cum autem plurimi sumptus in ædificio reficiendo perferri debuissent, Capitulum eadem solaria in emphyteusim ad quartam generationem dare constituit: et ad hanc

rem die 17 Augusti 1842, edicta apposuit, in quibus eos, qui ad hoc optarent, commonebat: « di depositare le offerte chiuse e sigillate nell'Ufficio Capitolino Malagricei per prendersi in considerazione. »

Inde factum est, ut duæ oblationes exhiberentur, una ab Augustino Vallati scutator. 180. altera a Benigno Tignani scut. 220. Cum vero Augustinus Vallati jus prælationis in pari conditione sibi competere putaret tam ex Const. Gregorii XIII. *Quæ publice utilia*, quam ex speciali pacto in locatione convento, ideoque ad eandem scut. 220. summam auget oblationem suam, E. Card. Vicarius iterum jussit « che fossero nuovamente affissi gli editi invitatori per tutti quelli, che volessero dare le loro offerte sopra la indicata somma di sc. 220. »

In hoc secundo periculo tres existerunt Oblatores, videlicet idem Vallatius pro scut. 225. idem Tignanius pro scut. 260. et Eques Lopez-Celli pro scutatis 280. Sed huic ultimæ tam offerens, quam Capitulum renunciavit, ideo locus factus est Tignanii oblationi excipiendæ; qui præterea scut. 315. quot in restaurationem impensa fuerant, solvere pollicitus est.

Igitur die 19. Maii ejusdem anni rescriptum prodiit cum clausula, ut tam ipse, quam suus filius emphyteusim posset transmitti « sive per actus inter vivos, sive etiam causa mortis in personam quoque extraneam, quatenus ipse, aut ejus filius absque filiis masculis moriantur. » Addita deinde conditio est, ut edicta pro vigesima et sexta iterum apponerentur, quibus mandatis cum rite obtemperatum fuisset, nullus alius intra viginti dierum spatium oblatores sese objecit. Sed bina post die iterum supervenit Vallatius, eademque Tignanii oblatione ad summam scut. 260. cum aliis scut. 315. exhibita, jus prælationis sibi debitum esse reflagitavit. Sed Tignanius hanc petitionem nihili pendens effecit, ut memoratum rescriptum rite expediretur.

Cum res ad hunc statum deducta esset, ad S. C. Ep. et Reg. causa delata est, dubiique formula condita « Se ed in qual modo si debba preferire Agostino Vallati nel contratto di emfiteusi, di cui si tratta, pel quale era stato rilasciato il rescritto a favore di Benigno Tignani? »

Vallatius affirmativam sibi responsionem tribuendam esse tuebatur duabus præsertim de causis. 1. Gregorius XIII in citata Const. *quæ publice* sancivit, ut si quis Romæ domum vendere velit, et adsit vicinus, qui super venali domo inædificare paratus sit, hic quisbusdam adjectis conditionibus jus prælationis supra cæteros obtineat; qui si desit idem jus inquilino devolvatur, sed sine obligatione ædificandi. Jamvero dd. hanc prælationem non ad unum venditionis casum coercent, sed etiam ad emphyteusim, quæ tantum cum emptione habet affinitatem, producunt Corradin. De Præl. q. 16, n. 112. Deinde in locationis instrumento § 14, pactum conventum est « In fine termini nata che sara la presente locazione, il Ca-

« pitolo promette al Signor Capitano Vallati « Conduttore di averlo in considerazione « nel nuovo affitto a preferenza di qualunque altro ». Hic enim non duntaxat de ratione, quæ conductori habenda sit, sermo est, sed insuper aperte innuitur aliis esse præferendum « a preferenza di qualunque altro. »

Neque vero opponi posse pergebat, quod ipse suo juri tacite renunciaverit, cum sciens ac volens suam oblationem exhibuit: auctores enim qui e contra afferuntur easum respiciunt judicialis venditionis, quæ per auctionem ad hastam publicam perficiatur. Deinde ex mente ipsorum Doctorum, ut quis juri suo renunciasset dicatur, requiritur, ut prius rerum statum integre ac luculenter ipse cognoscat; id autem non evenit, nisi cum omnia conventionis elementa ita sunt parata et matura ad perfectionem, ut nihil nisi actus desideretur.

Neque aliquid officere aiebat, quod Tignanius Rescriptum a S. C. retulerit, idemque expediri curaverit. Rescripta enim S. C. facultatem quidem inducunt, non vero obligationem. Hinc capitulo nulla ex parte S. C. obligatio orta est conventionis cum Tignanio celebrandæ. Cæteroque in suis edictis tantum declaraverat sese majori oblatores non prælationem daturum esse, sed tantum rationem habiturum « per esser preso in considerazione » quin tamen prælatio promitteretur. Duæ enim distinguendæ sunt in bonis adjudicandis rationes, altera fiscalis, quæ suas repetit regulas a Motu-Proprio Ben. XIV. et magis ex decreto S. C. Ep. et Reg. diei 18 Martii 1835; altera vero privata, in qua dominus eas potest condiciones apponere, quas sibi expedire magis videbitur. S. Rota in *Romana Affictus* 22 Junii 1761, § 4, coram Herreris.

E contra Tignanius aiebat in adjudicatione bonorum ecclesiasticorum certas regulas esse præscriptas, et observandas esse ex decreto

CRUX.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. In processionibus quibusdam solemnioribus, utpote Candelarum, Palmarum, Feriæ V et VI majoris Hebdomadæ, Sabbati Sancti, in absolutionibus defunctorum, et quoties Episcopus pontificaliter celebraturus in Ecclesia Cathedrali processionaliter procedit a Sacario, sive ab alio loco deputato ad altare, Subdiaconus etiam Canonici deferre debet Crucem, quæ tamen sit longitudinis competentis, et ad portandum facilis, in aliis autem Processionibus a supradictis aliis, nempe Cruciferarius consuetus ipsam deferat, Superpelliceo vel Tunica indutus, nullo autem modo Pluviali: Oscan. Die 11 Junii et 9 Julii 1591, dub. 18.

(2. Proposito dubio: An Dignitates et Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinaten. uti possint annulo, Cruce pectorali cum gemmis, caligis, sandaliis, et chirothecis præsertim auro ornatis. S. C. respondit: « Affir-

S. Cong. ep. et Reg. diei 18 Martii 1835. Jam vero Capitulum ad hasce regulas, prout debuit, sese conformasse ostenditur ex iis, quæ narrata sunt; ideo iis standum esse, quæ in allati decreti capitibus sanciantur. Atqui in apponendis edictis pro vigesima tunc alteri prælatio tribuitur, cum intra spatium viginti dierum, nec ultra, hic eam pecuniæ vim offerat, quæ vigesimam oblatores pretii partem saltem exæquet. Post hæc fit locus edictis pro sexta, in qua pariter ea pecuniæ vis requiritur, quæ par sextæ oblatores pretii parti sit, relicto trium mensium spatio. (Vide citatum decretum S. C. diei 18 Martii 1835, tam ad dubia Episcopi Assisiensis, quam ad articulos subsequentes).

Jam vero Vallatius nunquam majorem oblationem, quam Tignanius, proposuit. Hinc nullum impedimentum sibi jure opponi posse censebat, quominus et rescriptum obtineret, idemque expediendum curaret, quin ulla Capitulo recedendi facultas relinqueretur.

Quod vero pertinet ad laudatam Gregorii XIII Const. replicabat, eandem utpote editam in re odiosa, quæ nempe liberum de suis rebus disponendi arbitrium coercescit, ita restringendam esse, ut a contractu, qui nominatur, ad eum qui siletur, non extendatur. Rota in Romana Prælationis et Evacuat. 8 Julii 1808, coram Isoard. Deinde ut quis hoc beneficio fruatur, totam domum incolat necesse est. Tandem quidquid sit de jure prælationis, quod sibi arrogat Vallatius, contendebat eum ipsi juri cessisse, simul ac volens ac sciens inter oblatores numerum sese immiscuit.

E. Vicarius quoad maximam partem Vallati rationes tuebatur, illique pluribus de causis prælationem concedendam esse opinabatur.

Nihilominus in generali conventu diei 24. Jan. 1845. E. Patres dubio, quod superius exscriptimus, rescribendum censuerunt: *Negative*

mative juxta modum: modus est, quod in missis solemniter decantandis solus Celebrans uti possit enuntiatis indumentis auro non ornatis, nec non annulo cum unica gemma, et Cruce pectorali sine gemmis, et amplius:» Urbinaten. Die 29 Januarii 1752, dub. 1.

(3. 10. An servari possit asserta consuetudo, ut in Processionibus palmarum, et candelarum (functionem non peragentem Episcopo) Crucem portet Capellanus per turnum paratus. S. C. rescribendum censuit: *Affirmative, et amplius*, Conimbricen. die 14 Aprilis 1753, Ad 10.

(4. 17. An omnes Canonici in Choro præsentibus Feria VI, in Parasceve, teneantur accedere ad adorandam Crucem ante gradus Altaris majoris in casu etc.

19. An et qua pena puniendi sint non accedentes ad Crucis adorationem, in casu etc. S. C. rescribendum censuit: Ad 17, *Affirmative*. Ad 19, « Punetandi erunt tamquam ab-

sentis a Choro. Casaleni. Dubiorum Die 15 Septembris 1753. »

(5. An in Processionibus generalibus Parochus S. Antonii, ejusque Capellanus Curatus incedere debeat sub unica Cruce Ecclesie Collegiate, vel potius constituere possit corpus distinctum cum dicto Cappellano Curato, et asseritis Presbyteris, et Clericis sue Ecclesie Parochialis, et suam elevare Crucem in casu etc.? et quatenus affirmative quoad primam partem.

6. An, non interveniente Capitulo, in associandis funeribus parochianorum Ecclesie Collegiate ad Ecclesiam S. Antonii, istius Parochus Stolum induere, et Crucem elevare possit, ac precedentiā habere debeat a Parocho Collegiate, etiam intra limites parochie ejusdem Collegiate, seu potius, intra limites tantum ipsius Parochie S. Antonii, in casu etc.?

7. An non interveniente Capitulo in associandis funeribus parochianorum Ecclesie S. Antonii ad Ecclesiam Collegiatam, istius Parochus Stolum induere, et Crucem elevare possit, ac precedentiā habere debeat a Parocho S. Antonii, etiam intra limites ipsius Parochie S. Antonii, seu potius intra limites tantum Parochie ejusdem Collegiate in casu etc.? S. C. rescribendum censuit: Ad 4. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam: Ad 6. « *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam: » Ad 7. « *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam. Camerinen. præminentiarum die 19. Februarii 1754. »

(6. Super jure deferendi Crucem in publicis Processionibus in Civitate Fulginie peragendis inter Capitulum, et Canonicos Ecclesie Cathedralis Civitatis predictæ ex una, et Capitulum Ecclesie Collegiate S. Salvatoris ejusdem Civitatis ex altera parte, exertis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, E., et R. D. Cardinalis Sacripantes Ponens infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An Ecclesie Collegiate SS. Salvatoris Fulginie liceat in Processionibus, in quibus intervenit Capitulum Cathedralis, deferre propriam Crucem, in casu, etc.

Et S. eadem C. utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem præfati E. Pontificis, rescribendum censuit: *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit Fulginaten. die 4. Sept. 1756.

(7. An Parochi, cæterique de Clero tam Seculari quam Regulari teneantur incedere sub unica Cathedralis Cruce in processionibus funebribus. S. C. rescribendum censuit: *Affirmative*, et *amplius*. dub. 4. Cajetana die 16. Jul. 1757.

(8. In missa solemnī quæ cantatur feria V in cœna Domini, quoad crucem, an debeat esse cooperta velo albo, seu potius violaceo, servanda est Ecclesie consuetudo. Toletana dub. 2 die 11 Feb. 1764.

(9. Inquiritur, numquid Feria V. in Cœna Domini dum solemnī Missa cantatur, Crux cooperta esse debeat velo albo, ratione solem-

nitatis diei, seu violaceo propter Passionis tempus, S. C. rescribendum censuit: « Albi coloris debet esse velum Crucis Altaris, in quo Missa celebratur: violacei vero Crucis Processionis, et Altaris lotionis. 4. dub. Lusitana die 20. Decembris 1783. »

(10. 1. An in associatione cadaverum sepeliendorum in Ecclesia Fratrum Conventualium, intervenientibus Canonicis in forma Capituli, jus competat dictis Patribus erigendi propriam Crucem, seu potius hujusmodi jus private spectet ad Capitulum in casu etc.? Et quatenus affirmative ad secundam partem.

3. An Capitulo in eisdem associationibus jus competat ingrediendi cum Cruce erecta, et stola Ecclesiam dietorum PP. Conventualium, ac funebria absolvere circa cadavera in casu etc.? S. C. rescribendum censuit: Ad 1. « *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. » Ad 3. *Negative* Albanen. Funerum die 13. Septembris 1787.

(11. An prædictis Dignitatibus et Canonicis Cathedralis competat jus elevandi propriam Crucem in Processione peragenda in eadem Festivitate, in casu etc. seu potius incedere debeat sub Cruce Capituli Collegiate? S. C. rescribendum censuit: Ad 18. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. Melevitana Præminentiarum die 19. Maii 1786. »

(12. Rev. Domine; Cum orta sit dubitatio inter Ecclesiasticos viros Regalis Capellæ Titulo SS. Crucis Oppidi Caravaciæ in ista tua jurisdictione S. Jacobi de Spatha Nullius Diocesis Compostellanæ existentis, circa externas significationes venerationis, et publicos actus cultus, qui exhiberi consueverunt erga eam Crucem quæ maxima religione in prædicta Capella asservatur, num scilicet retineri possit consuetudo, ejus initii memoria non extat, exhibendi eidem Sanctæ Cruci eosdem externos actus cultus, qui SS. Eucharistiæ Sacramento exhibentur, præter modum a Rubricis, et Decretis S. R. C. præscriptum, vel ab iisdem sit abstinendum, ejusque cultus a Rubricarum, et Decretorum normam sit exigendus, proindeque, ad amovendam omnem hæsitacionem, S. R. C. supplicaverunt, ut, quid hoc in casu agendum foret, decerneret.

E., et R. Domini Patres S. R. C. præpositi, exquisita sententia unius ex apostolicorum cæremoniarum Magistris, ac re mature perpensa, referente E., et R. Domino Cardinali Antonio ab Auria, censuerunt: « Tibi per hasce litteras significandum esse; quod si revera noscas consuetudinem esse immemorabilem atque etiam prævideas, ex immutatione faciendā, ut Rubricis, Decretisque satisfiat, nedum admirationem, sed scandalum in Populo oriri, aut languorem in religione erga prædictam S. Crucem induci posse, nihil innovari permittas; et diu bene valeas. S. Jacobi De Spatha Nullius Provincie Compostellanæ die 23. Augusti 1794. »

(13. An in Processionibus, in quibus intersunt tam Parochus et Beneficiati S. Michaelis Archangeli, quam Archipresbyter et Canonici

Ecclesie S. Mariæ Matricis præcedere simultanee debeant duæ Cruces utriusque Ecclesie, et post eas simultanee etiam utriusque Capitulares? Et quatenus negative: An Parochus, et Beneficiati S. Michaelis Archangeli incedere priores debeant post propriam Crucem quatenus incedere nolint post unicum Crucem Matricis ipsius, ita ut hujus Archipresbyter, et Canonici velut digniores incedant postremi in casu etc.? S. C. rescribendum censuit *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam. dub. 1. Terracinen. die 27. Martii 1802.

(14. Iterum proposita causa sub dubio: An sit standum, vel recedendum decis; S. C. respondit: « Servetur solitum, juxta modum, dummodo Cruces procedant una post aliam, pariterque Capitula. 11. Sept. 1802. »

(15. 8. An, et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem vel supra Tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandæ inter candelabra, ut Rubrica præscribit?

15. An Collegiis Canonicorum vel Beneficiatorum, quibus ab Apostolica Sede concessum fuit privilegium gestandi Cruces vel Numismata Aurea, licitum sit ea palam deferre in paramentis sacris, vel in administratione Sacramentorum? S. C. rescribendum censuit: Ad 8. « Reprobandum abusus; et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris, et facti remediis; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia, tempore Sacrificii, apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti, quam Populo. Ad 15. *Negative*. Dubiorum die 27. Sept. 1822. »

(16. Quum summopere insitum animo sit R. Episcopi Alatrini, vehementerque curet, ut omnia illa in Diocesi rite serventur, quæ ad Ecclesiasticam pertinent disciplinam, vel sacros respiciunt ritus, vel quæ decreta jam sunt a Synodali Constitutionibus, quumque cerio comperisset a Canonicis insignis Collegiate Ecclesie S. Mariæ Majoris illius Civitatis contra jura procedi, propriam in funeribus elevando, ac deferendo Crucem, dum ad associandum funus in aliquam defuncti Parochialem Ecclesiam vocantur, opportuno remedio consuetudinem hanc de medio sustulit, tanquam abusus eliminandum per generale Decretum universa in Diocesi servandum, ac editum sub die 6. Octobris proxime præteriti Anni piacularis 1825. quo cautum est, ne Crux in posterum in funeribus deferatur, nisi ab Ecclesia tumulante. Ast recensiti Canonici ægre ferentes propriæ consuetudinis eliminationem, illiusque clientelam suscipientes, Sacrorum Rituum a livere Congregationem, atque in Ordinario Cœtu coacto sub die 6. Maji currentis anni 1826. proposito Dubio: An substineatur Decretum Episcopi super delatione Crucis in funeribus? postularunt mandari ab E. Patribus superioribus esse revocandum Episcopi Decretum, et S. C. respondit: *Affirmative* juxta Votum, scilicet Oratores « pareant Decreto Episcopi, utpote ad tramites Decretorum

Sacre Congregat. et Constitutionum Synodali efformato. »

(17. Facta autem de præmissis SS. Domino Nostro Leoni XII. Pontifici Maximo per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas sua Sacre Congregationis responsum approbavit, et confirmavit. Alatrina 10. Maii 1826.

(18. Quomodo sit interpretandum Cæremoniale Episcoporum quoad Crucis delationem in Processionibus, ac potissimum die omnium Fidelium defunctorum, Purificationis, Dominica Palmarum, assistente nimirum Episcopo: S. C. rescribendum censuit: « Cæremoniale Episcoporum interpretatione non indiget, et sub respectivis capitibus aperte declarat a quo, et qua sacra veste induto, deferenda sit Crux, nimirum in die Purificationis, Dominica Palmarum, Feria V. in Cœna Domini, Feria VI. in Parasceve, a Subdiacono diverso a ministrante, amicto Tunicella, aut Planeta plicata, prout exigit sacre actionis qualitas: die vero Commemorationis omnium Fidelium defunctorum a Subdiacono Missæ. » Alexandrina die 6. Maii 1726. et Leo XII. approbavit S. C. responsa. Die 10. suprad. Mensis et Anni.

(19. An, et quomodo a Canonicis cum Cathedralis, tum Collegiarum, deferenda sit Crux pectoralis in casu etc.: S. C. rescribendum censuit: *Affirmative* a singulis Capitulis hoc privilegio a Sancta Sede decoratis, servata forma concessionis, et ad Mentem: « Mens est, ut Episcopus mandet Canonicos decoratos privilegio Crucis deferendæ super Paramenta sacra, eo uti debere ad præscriptum Cæremonialis; nempe imposita Cruce super Albam, et eandem tegere, celebrante Episcopo. » Meliten. die 16. Septembris 1828. et Leo XII. confirmavit. Die 17. recensiti Mensis et Anni.

(20. Requisita S. C. a Canonicis Ecclesie Imolensis ut omnibus ipsorum et singulis pectoralem Crucem quotidie gestandi detur facultas: *negative* respondendum esse censuit. Imolen. dub. 2. die 27. Septembris 1828. Quod confirmavit Leo XII. die 1. Octobris 1828.

(21. In Cathedralibus, Collegiatis, et Parochialibus Ecclesiis Crux Altaris, in quo Missa Conventualis vel Parochialis celebratur, tegi debet, sicut et Imagines, juxta Rubricas Sabbati Passionis. Marsorum dub. 36. die 12. Novembris 1831. Servetur Rubrica Missalis vel laudabilis consuetudo quoad Crucem, quæ Feria VI. in Parasceve est detegenda et adoranda, an debeat esse lignea, vel etiam de metallo, præsertim si in ea lignum veræ Crucis includatur. Ibid. dub. 59.

(22. Celebrante in Pontificalibus Archiepiscopo, servanda est dispositio Cæremonialis lib. 2. cap. 6. § 24. et 27. eo modo ut Subdiaconus deferens Archiepiscopalem Crucem sit paratus; atque Acolytus deferens Crucem Capituli sit Cotta indutus, medius tamen inter duos Ceroferarios cum luminaribus. Pisana die 12. Novembris 1831.

(23. Ortæ quæ essent nonnullæ quæstiones inter Capitulum et Canonicos Collegiæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Magdalænæ ex una, et Parochum Ecclesiæ Sancti Hilarii, Oppidi Ereti Diocesis Sabinen., ex altera, quoad erectionem Crucis Ecclesiæ Parochialis in associandis Cadaveribus ejusdem Parociæ, tam si hæc essent sepelienda in dicta Parochiali, quam tumulanda in supradicta Collegiata, adeo partes in suis studiis incauerunt, ut ad rem omnem componendam opus fuerit mutuari præsidium ab Sacrorum Rituum Congregatione. Primitus vero solo exhibitio supplicii libello, nullisque datis allegationibus, Sacra Congregatio in Ordinario Cœtu diei 17. Julii superioris anni 1830. in sensu fuit ut scriberetur Eminentiſſimo, et Reverendiſſimo Episcopo Sabinen. pro informatione, et voto. Dum hæc agebantur, et quisque pro suo tuendo studio liti necessaria pararet, dissentientibus adhuc animis, in hoc unum convenerunt, ut consuleretur expensis; proptereaque iterum supplicarunt Eminentiſſimis Patribus Sacris Ritibus tuendis præpositis, ut omni strepitu, et forma Judicii sublatis atque sepositis, dignarentur eligere et deputare Judices Compromissarios, seu Arbitros ad controversias easdem librandas, definiendasque, dato etiam authentico testimonio ab omnibus propria manu subsignato, quo declaratur paratos esse, sine ulla appellatione, amplecti et observare iudicium, et arbitramentalem sententiam. Rata est Sacra Congregatio rem omnem committere Eminentiſſimo Cardinali Præfecto, qui Arbitris electis et nominatis, eisdem facultates omnes necessarias, et opportunas ad rem impertiret. Et Eminentiſſimus ac Reverendiſſimus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Prænestinus, seu Sacrorum Rituum Congregationis Præfectus, hisce facultatibus utendo sub die 11. Aprilis vententis anni elegit, et nominavit in Judices Compromissarios RR. DD. Andream Mariam Frattini ejusdem Sacræ Congregationis Assessorem, et Aloysium Canonicum Tomasetti Sub Secretarium Sacræ Congregationis Concilii, utriusque Juris Doctores, cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis ad controversias componendas, definiendasque; hæc tamen adjecta lege, ut in omnibus procederetur sine forma, et strepitu iudicii, insuper ut Allegationes omnes una cum sententia iudicium, omniaque ad quæstionem quomodolibet spectantia, exhibita referrentur in Actis Sacrorum Rituum Congregationis; denique ut nulli liceat ullo umquam tempore ab Arbitramentali sententia quoquo modo appellationem querere. Hujus itaque causæ Arbitri Judices, utraque parte consentiente, ut per omnia rite ac legitime procederent, sequentia Dubia concordarunt, quæ recensitas controversias complectuntur, nimirum:

An, et cui competat elevatio Crucis in casu, S. C. rescribendum censuit: «Crucis elevationem competere ad Ecclesiam Parochialem tumulantem, nempe si Cadavera deferantur ad Ecclesiam Collegiatam Sanctæ Mariæ Magdalænæ, hujus Ecclesiæ Crux est

elevanda, etiam si defunctus ad Sancti Hilarii Parociam pertineret; et vicissim Crucis elevatio competit ad Parociam Sancti Hilarii, si defunctus in hac Ecclesia sit tumulandus, quamvis de Parociâ Collegiatæ esset, quum sub una tantummodo Cruce Ecclesiæ tumulantis in funeribus esse procedendum pluries decreverit Sacror. Rituum Congregatio, præsertim in Melphitana 12. Julii 1628, in Lucen. 15. Maii 1694. in Melvitana Jurium Parochialium et Præminentiarum 27. Februarii 1723. et omissis aliis, novissime in Alatrina 6. Maji 1826. » Sabinen. Die 12. Novembris 1831.

(27. Sacerdos paratus Feria VI. in Parasceve, antequam Crux detegatur, non debet in accessu ad Altare genuflectere, sed facere profundam reverentiam. Melfiten. die 31 Augusti 1839.

(28. Elatio Crucis debetur « Ecclesiæ, ad quam defunctus defertur, ut pluries decretum fuit, ac præsertim in una Nullius diei 26. Septembris 1682. Si vero inter collegiatæ Capitulum, huic debetur prælatio Crucis, juxta generale Decretum diei 6 Julii 1661. Balneoregion. diei 11 Aprilis 1840. »

S. CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM DECRETA.

(1. Proposito dubio: An indulgentiæ aliquibus Crucifixis appositæ et in scriptis, aut typis impressæ, realiter existerent, quæ sunt tenoris sequentis videlicet:

Per facultà speciale ottenuta dalla Santità N. S. Pio papa VII. il di 1. Giugno 1804, e confermata con Rescritto nell'Udienza dei 6 Novembre 1805, si accordano le seguenti particolari Indulgenze a questo Crocefisso.

1. Indulgenza plenaria in punto di morte per chiunque lo bacerà in quegli estremi, e lo avrà sul letto.

2. Cento giorni d'Indulgenza da chiunque, ed ogni qualvolta si reciteranno innanzi ad esso tre *Pater, Ave, Gloria*, pregando secondo la mente del Sommo Pontefice.

3. Altri 100 giorni d'Indulgenza da chiunque, ed ogni qualvolta divotamente si bacerà, invocando almeno col cuore il suo santo aiuto.

4. Indulgenza plenaria due volte al mese ad arbitrio, per chiunque lo avrà seco nell'accostarsi alla S. Comunione.

5. Benedicendosi con esso il popolo dopo la predica, sette anni e sette quarantene d'Indulgenza per chiunque riceverà questa S. Benedizione.

6. Queste Indulgenze sono annesse immediatamente al Crocefisso, onde non si perdano, mutandogli la Croce.

7. Sono in vita dei proprietari rispettivi del Crocefisso.

8. Passano successivamente gl'istessi privilegi in qualunque persona, cui il proprietario a suo arbitrio lo legghi, doni od impresti.

9. Potrà inoltre il proprietario del Crocefisso (ma non quei ai quali lo presterà), trovandosi legittimamente impedito, acquistare l'Indulgenze delle Stazioni, dicendo

sette *Pater ed Ave*, e quelle della *Via Crucis con 14 Pater ed Ave*

S. C. respondit: « Consulendum SS. pro confirmatione, seu abrogatione prædictarum Indulgentiarum. » Facta autem relatione in Audientia 21 Decembris, Sanctitas Sua declaravit eas abrogari, et lucrari posse ab iis

CULTUS SANCTORUM.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA

(1. Indulti recitandi Officium, et Missam S. Floriani Mart. de com. cujus Corpus cum vase Sanguinis extractum ex Cœmeterio Callixti, in Ecclesia Parochiali Pagi Wolenschwil in Helvetia Diocesis Constantien. Provincia Moguntinæ colitur, non obstantibus, quod in Martyrologio Romano prædictus Sanctus non sit descriptus, quodque obstat Decretum S. R. C. anno 1691. emanatum super cultu S., qui ex Catacumbis eruuntur, pro Parocho, et Clero ejusdem Pagi, « SS. mandavit servari Decreta S. C. super cultu sanctorum qui ex Catacumbis eruuntur, et signanter Decretum anni 1691. Constantien. die 6 Septembris 1752. »

(2. Ea est iudicii sanctitas, cum de Viris virtute commendatis honoribus Cœlitum donandis apud Apostolicam Sedem quæstio instituitur, ut quæ possint ad tantam rem tuto conficiendam, atque ad quemlibet vel tenuissimum scrupulum propulsandum expedire, ea omnia a Romanis Pontificibus sapientissime inventa atque statuta fuerint. Huc spectant quæ jussu S. M. Urbani Pp. VIII. a Consistorialis Aulæ Advocatis habentur in publicis Consistoriis Orationes, quibus de vita et gestis alicujus Servi Dei diserte refertur, ut ipsius nomen in Beatorum, vel Sanctorum Fastis adscribatur. Quæ quidem, ut recte ac pro summi negotii gravitate fiant, Institutio quædam ab eodem Pontifice fuit sancita die 28. Januarii anno 1631, qua et Secretarii Sacræ Rituum Congregationis partes, et Consistorialium Advocatorum Officium in id genus orationibus distincte, perspicueque præfinitur. Cavetur quippe, ut causarum electio ad ipsum Secretarium spectet, qui adnotabit in schedula a se subscribenda nomen Servi Dei unicuique Advocato per turnum assignandi, tum ut eidem per octo saltem ante propositionem dies eadem Oratio tradatur emendanda, atque accommodanda, si quid adversus ipsius Institutionis præscripta ibidem deprehenderetur. Argumenta insuper, de quibus disserere fas sit, designantur, ne quid temere, vel minus opportune, atque proponatur. Quæ quidem omnia S. M. Benedictus XIV. luculenter tradit in præclaro suo Opere de Beatif. et canoniz. Sanctorum lib. 1. cap. 33. Verum cum in præsens, quod ferme ex varietate, ac perturbatione temporum contingit, ab accurata hujusmodi Institutionum executione declinari cœperit, Sanctissimus Dominus Noster Pius VII. Pontif. Max. pro eo, quo præstat zelo in ecclesiastica discipli-

tantum qui nunc pro tunc possident Crucifixum, cui adnexæ hujusmodi Indulgentiæ reperiuntur, eorum vita naturali durante. Prohibet autem eisdem Patronis, dictos Crucifixos aliis commodare, donare, aut ratione Legati concedere, ad effectum lucrandi supradictas Indulgentias.

na tuenda, suorumque Prædecessorum Decretis vindicandis, decrevit, ut prædicta Urbani VIII. Institutio, exceptis septimo, et octavo capite, quibus de honorarii tribuendi ratione, ac de commissione ab Advocato proponente tenenda agebatur, plene, et integre in posterum servetur, ac nemini liceat adversus ipsius dispositionem operari. etc. Die 30 Aprilis 1816.

(3. Ad tollendos, ac eliminandos abusos, qui irreperant in Cultus exhibitione nonnullis Dei Servis, qui cum fama et opinione Sanctitatis decesserant, inconsulta Sede Apostolica, ac si essent Beatorum honoribus legitime decorati, sa. me. Urbanus Papa VIII. generalibus Decretis editis anno 1625. confirmatisque die 5. Julii 1634. providis latis Legibus certum præscripsit ordinem in hisce agendis Causis in posterum omnino constanterque servandum. Per hanc tamen generalem sanctionem expresse declaravit: « se nolle ullum præjudicium inferre iis (Servis Dei), qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum Scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur. » Quoniam vero hujusmodi ab universali Lege exceptionum cognitio ad sacrorum Rituum Congregationem servabatur, ex tunc obtinuit consuetudo, ut quoties eorumdem Servorum Dei, qui aliquo ex modis supramemoratis in Cultus possessione reperiri putabantur, Causa ad eandem Sacram Congregationem deferri contingeret; primum in ordinario Conventu de introductionis Commissione signanda ageretur: qua favorabili Rescripto absoluta, in altero postmodum cogendo, de Cultu, sive casu excepto instrueretur iudicium. Hoc tandem juxta Postulatorum vota prolato, locum habebat altera Instantia pro Officio et Missæ concessionem. Ita refert, et docet Benedictus XIV. de Servorum Dei Beatificatione Lib. IV. Part. II. Cap. IV. et sequen.: atque hæc fuit constans Sacræ Congregationis disciplina per bina fere sæcula.

Sed quoniam sæpe evenire solet in iis etiam, quæ recte sapienterque constituta sunt, diuque incorrupte servata, ut temporis lapsu languescant, sensim immutentur, et diversam formam suscipiant; unde opus, ut oblitteratus rigor, si non omni, aliqua saltem in parte ad observantiam revocetur: id quod accidit in præfatis Causis pertractandis, quæ a Papæ Urbani Lege excipiuntur. In his quippe novus paulatim longe facilior, et expeditior inductus est ordo sub ea specie, quod antiquus rigor retinendus sit